



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt III. Idem a in Parabolis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

## CAPVT III.

Idem <sup>a</sup> in Parabolis.

**N**Am & ego unigenitus fui coram matre mea. Quare unigenitum se nominat, quem fratrem uterinum præcessisse Scriptura testatur? nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi, nunquam esset, de via deceffit.

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> **I**n parabolis. ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & priora illa verba. Nam & ego unigenitus fui coram matre mea. Reperiuntur in cap. 4. Proverbiorum; sequentia verò sunt D. Hieronymi. Hanc eandem difficultatem, quare videlicet Salomon dicatur unigenitus filius, cum ex lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 5. appareat Davidem tres alios filios suscepisse ex Bethsabee, videlicet Simmaa, Sobab, & Nathan; agnoverunt PP. & Theologi Expositivi, Salius tom. 3. anno mundi 2989. num. 3. Abulensis, Lira, & Vatablus in dict. cap. 3. Paralip. Hugo Cardin. in lib. 2. Regum, Salmeron tom. 3. tract. 28. existimant, tres illos filios à Bethsabee ex Uria, non verò Davide conceptos fuisse, sed postea à Davide adoptatos. Verùm eos fuisse Davidis filios naturales expressè constat ex dict. cap. 3. Paralip. & probarunt Theodoretus, & Procopius ibi, Pineda lib. 1. de rebus Salomonis, cap. 8. num. 3. & lib. 7. cap. 26. Barradius tom. 1. lib. 5. cap. 9. Quare eà interpretatione omisâ, verius dicendum est, Salomonem appellari

filium unigentium, quia unice dilectus erat à matre sua; quare non dicitur in dict. cap. 4. unigenitus matris suæ, vel patris sui; sed unigenitus coram matre sua, id est ut Septuaginta vertunt, dilectus in facie matris suæ, id est unicus per singularem amorem, curam, & sollicitudinem, perinde ac si esset solus, & unigenitus: quare ad eum mater ait cap. 31. vers. 2. Quid dilectus mihi? Quid dilectus uteri mei? Quid dilectus votorum meorum. Probant, & Illustrant expositionem hanc Pineda dict. lib. 1. cap. 8. Cornel. à Lapide in dict. cap. 4. Proverb.

<sup>b</sup> **N**unquam esset. ] Hinc aliquando filij, qui iam decefferunt, tanquam si non fuissent, habentur; quare nec patri profunt ad excusationem munerum publicorum, nisi in bello amissi sint, l. 2. §. oportet. ff. de excusat. ut. l. 2. §. qui ad munera, l. communi. ff. de vacat. muner. Quoad alia verò, veluti ad liberationem præstationis operarum, amissi filij etiam profunt, l. libertinus 37. §. amissis, de oper. libert. l. nec patronus. Cod. ed. tit. Prosequitur Bertranus Maurus de iure liberorum cap. 44.

## CAPUT IV.

Idem super <sup>a</sup> Mattheum.

**Q**uod dicitur: antequam convenirent; non sequitur ut postea convenirent: sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> **S**uper Mattheum. ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & verba hæc reperiuntur apud D. Hieronymum in expositione illorum verborum Matthæi cap. 1. Cum esset desponsata mater ejus Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Ubi propositio illa ante, eam continet difficultatem: Ergo postea convenerunt; ut quidam Hæretici Antidicomarianistæ apud Epiphanium hæres. 78. deducebant, afferentes Beatam Mariam post Christi partum à B. Ioseph cognitam fuisse. Sed rectè ea verba Divi Matthæi exponit S. Hieronymus ibi: dum ait, quod non quoties dicitur aliquid non antefactum esse, significatur postea factum esse; cum enim dicimus hæreticos non acturos penitentiam prius quàm moriantur, non significamus eos post mortem penitentiam acturos, sed tacemus quod est certum, dicimus quod est dubium. Certum est, post mortem neminem agere penitentiam, quia in inferno quis confitebitur tibi? Sed dubium est, an ante mortem acturus sit. Certum quoque erat post Christi partum Ioseph

Mariam non cognovisse, cum non aliam filium, quàm Christum habuisset: an autem Christus ex Ioseph, an verò ex Spiritu sancto conceptus esset, dubitari poterat, & necessariò erat explicandum. Hoc ergo explicavit Evangelista, quod dubium, quodque necessarium erat; illud prætermisit, quod nec quærebatur, nec dictu erat necessarium. Alij docent hæc verba antequam convenirent, idem importare atque, in eadem domo habitarent. Ita Simon Cassianus in comm. lib. 2. c. 16. Abulensis in cap. 1. Matthæi, Baronius tom. 1. annual. in Apparatu, Cajecanus in 3. part. D. Thomæ quest. 29. art. 2. quos refert, sed non sequitur Baradas tom. 1. lib. 8. cap. 5. ibi: Non de cohabitatione, sed de conjugali congressu hæc verba cum plerisque Interpretibus sunt intelligenda. Quibus sic intellectis Heluidius Deiparæ perpetuam virginitatem labefactare conatur: sed stупeus est aries, nec enim vim ullam habet hæc consequutio: Antequam convenirent, concepit virgo ex Spiritu sancto; ergo postea convenerunt. Quemadmodum nec illa: Antequam morbum agnosceret medicus, animam efflavit ægrotus; ergo postea morbum medicus agnovit.

CAPUT